Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36552
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

Sanctus nabarius respondit. Quid est barius. aut quid mali iu
dixisti. Dii uestri semper in tempestate. et in amaritudi
ne effundunt sanguinem. et tribulant ossa. et car
nes polluunt. Ferae uero meliores diis uestris extiterunt
ad preceptum uenerunt. et deuorauerunt mulie
res tuas. Tunc accensus nero ira ait. Quis est qui adnun
tiauit cum esses in carcere que facta sunt. Nabarius dixit.
Qui dedit timere se. ipse mihi annuntiauit. Quare
autem unus ex canibus tuis retenuit te currentem. sed morsu
laceratus pedem confregisti. Nero ait. Quid magicis tuis
fallis me et irrides deos meos. Si uis uiuere sacri
fica. Nabarius respondit. Dii uestri semper in tenebris sunt. nos uero despi
cimus demones. et deum colimus sempiternum. Accensus ira
nero dixit. Remoueatur hic nefarius. ne aures nostre
diutius contumeliis afficiantur. Cumque remoueretur naba
rius. exclamauit uoce magna dicens. Domine ihesu christe
salua animas seruorum tuorum geruasi et protasii. ut
per confessionem nominis tui liberati a malitia neronis.
et in gloria suscipi mereantur. Nabarius uero dixit his qui
conseruabant eum. Precor uos adducite puerum de quo
dixistis quia mechatus habeo filium. ne patiamini sic
passus est qui locutus est uerbum hoc. Et cito festinantes ad
duxerunt eum. et osculatus est puer pedes eius. et sanctus naba
rius caput pueri. Cumque amotus fuisset nabarius nero dixit
ad geruasium et protasium. Nolite consentire huic malefico. ne
cum eo suppliciis consumemini. Geruasius et protasius dixerunt
Quoniam hic est pater noster. qui nos non secundum carnem genuit. sed
spiritalem peperit. oportet nos cum eo mori. ut habeamus